



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. Quando lex Baptismis cœperit obligare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Responde-
tur obie-
ctionibus.

Ad Argumenta in contrarium: Respondetur Ad Primum, Spiritus sanctus ante Christi mortem non fuerat datus, nempe in ea plenitudine, & cum signo visibili, sicut post Ascensionem. Ita D. August. tractatu 3. in Ioannem; & Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 56. & Aleuinus loco citato: alioqui certum est multis ante Christi mortem inuisibiliter datū Spiritum sanctum, scilicet omnibus iustis. Adde, Si hoc argumentum valeat, Baptismum non fuisse instituendum ante aduentum Spiritus sancti: quod nemo dixerit. Ad Secundum, Baptismus non solum ex Christi morte, sed etiam ex alijs eius meritis vim habere potest, cum singula eius actiones sint infiniti pretij, quamuis vim habere potuerint à morte futura, etiam à Christo acceptata à primo instanti conceptionis. Ad Tertium, Non requiritur vt fuerint sacerdotes, quando Baptismum administrabant: nam cuius est minister baptismi. Ad Quartum, Statim dicam. Ad Quintum, Qui baptizabantur ante Christi mortem, configurabantur morti & resurrectioni futurae, quae in diuina praedestinatione & Christi acceptatione iam antecesserat.

6
Institutus
est in Chri-
sti baptis-
mo proba-
biliter.

Dico Secundò, Probabile est, Baptismum institutum, dum Christus in Iordane baptizaretur. Ita D. Thomas, & eius sectatores: & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis. Parte 6. cap. 4. Probatur: Quia tunc designata est materia. Nam vt Patres docent, Christus tunc suo baptismo aquas sanctificauit, vt idonea baptismi essent: vt docet D. Augustinus serm. 29. 36. & 37. de Tempore. Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. ult. Hieronymus dialogo contra Luciferianos. Chrysostomus homil. 12. in Matth. & passim Interpretes in 3. cap. Matth. Vnde passim docent Christum contactu carnis suae aquis vim regeneratiuam contulisse. Quod in terminis docet D. Augustinus sermone 36. & Beda lib. 1. in Lucam cap. 10. Similiter designata est tunc forma, per hoc, quod tota Trinitas tunc apparuit: & effectus, per descensum Spiritus sancti in specie columbae: ergo totum Sacramentum baptismi tunc est institutum. Aduerte tamen, hanc rationem non conuincere aliud, quam tunc Mystico modo materiam & formam baptismi Christi designatam. Vnde

7
Verosimi-
lius, post.

Dico Tertio, Probabilius videri non tunc precise esse institutum, sed aliquamdiu post, quando post ieiunium suum Dominus discipulos habere cepit. Insinuat aperte Scotus dist. 3. qu. 4. Ratio est; nam ad institutionem requiritur efficax voluntas & ordinatio, vt ex certo momento incipiat esse Sacramentum, id est, constare tali materiæ & formæ, cum tali virtute, & significatione; sicut fit in impositione aliorum signorum. Deinde requiritur, vt hæc voluntas etiam exterius aperiat, & forma materiaque exprimat: contentaneum enim est, vt signorum sensibilibus institutio fiat per actum externum & sensibilem. At credibile est, hæc Dominum non fecisse cum ipse baptizaretur, & nullos adhuc discipulos haberet, sed postea collectis discipulis qui hanc institutionem perciperent. Confirmatur, Quia sic videmus instituta reliqua Sacramenta, Eucharistiam, Penitentiam, Ordinem. Ad Patres autem facile responderi potest, illorum mentem non esse, tunc proprie Baptismum Christi esse institutum, quando ipse baptizabatur; sed designationem & depurationem materiæ & formæ baptismi, propediem

Responde-
tur obie-
ctioni
e Partibus.

instituendi, mysticè factant. Nihilominus non repugnat Baptismum institui per actum merè internum: vnde etiam tunc fieri potuit hæc institutio.

DVBIVM II.

Quando Lex Baptismi cæperit obligare?

Omissis varijs sententijs (hæc enim quæstio ad tractationem de Legibus spectat, sicut & illa de cessatione legalium.) Respondeo; Quæque in particulari capit obligare, quando Evangelica prædicatio ei plenè innotuit, vel certè potuit humano more innotuisse, spectato temporis spatio, & prædicationis vicinitate aut celebritate. Colligitur ex D. Bernardo epist. 77. quæ est ad Hugonem de Sancto Victore.

Ratio est, Quia promulgatio legis inducens obligationem, debet esse talis, vt innotescat; vel saltem ex se sit sufficiens; & necessarium habeat interuallum vt humano more in omnium notitiam possit venire. Atqui humano more fieri nequit, vt promulgatio vno loco facta, possit eodem tempore in omnium hominum notitiam venire: ergo talis promulgatio non inducit obligationem. Vbi aduerte, Non requiritur ad promulgationis sufficientiam, vt in omnium notitiam veniat; sed, vt ex se sit sufficiens, quæ in omnium passim cognitionem possit peruenire, spectata humana diligentia, & tanti vel tanti temporis decursu. Quod si actu non perueniat ad omnes, id per accidens est ipsi promulgationi; ac proinde non idcirco cæsenda est non obligare. At vt promulgatio vno loco vel vno tempore facta, eodem tempore in omnium notitiam veniat, per se absque miraculo est impossibile: vnde non est accommodatum, vt omnibus hominibus tunc obligationem inducat; & talis modus inducendæ obligationis non est humana naturæ consentaneus. Hinc fit, vt expressa cognitio Trinitatis & Incarnationis non cæperit statim eodem momento apud omnes esse in præcepto, aut medium ad salutem necessarium: sed sensim, prout sensim in varijs provincijs censebatur Evangelium satis promulgatum. Idem dicendum de Baptismo.

Sed contrà. Obijciunt Primò, Ioannis 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: de quo loco D. Augustinus epist. 108. ad Celeucianum: *Postquam à Domino dictum est, nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. graue peccatum est non baptizari*: ergo &c. Respondeo, Illa verba respicere tempus futurum: significat enim Dominus quidam post Euangelij promulgationem esset futurum. Ita D. Bernardus epist. citata 77. Similiter intellige D. Augustinum, vt sensus sit, Post illud tempus, quod Dominus designauit, cum dixit, *Nisi quis renatus &c. graue peccatum est non baptizari*. Simili modo loquitur Dominus Ioannis 6. v. 53. de Eucharistia, *Nisi manducaueritis carnem, & biberitis sanguinem &c.*

Obijciunt Secundò, Per mortem Christi, quædo dixit *Consummatum est*, cessauere legalia: ergo tunc capit obligatio baptismi. Respondeo Negando Consequentiam; Etsi enim tunc cessauerint quoad præcipuam rationem institutionis, quæ est, vt essent vmbra futurorum; tamen adhuc licitè seruabantur vsque ad integrâ in tota gente Iudica

8

Quæ legis
promulga-
tio inducit
obligatio-
nem.

Expressa
Trinitatis
& Incar-
nationis
notitia
quando
cæperit
esse neces-
saria.

9
Soluuntur
obiectiones.
Primò.

Secundò.

Judaica Evangelij promulgationem. Nec est necesse, vt cessante obligatione legis veteris statim inciperet in toto mundo obligatio legis nouæ.

Tertia. Objicitur Tertio, Matth. 28. Dominus dedit Apostolis præceptum *Baptizandi omnes gentes*: sed hoc non poterat commodè fieri, nisi eas obligando ad Baptismum: ergo ex eo tempore omnes cæperunt obligari. Respondeo, solum remotè & mediatè obligauit tunc gentes; nempe quatenus præcepit Apostolis, vt legem suam omnibus promulgent; & baptizent omnes; posita enim promulgatione, vult omnes obligare. Sicut si Rex præcipiat proregi, vt exigat à singulis certum tributum, non obligat subditos ad soluendū, nisi posita exactione.

Quarta. Objicitur Quarto, Lex noua videtur promulgata in Pentecoste, quādo impletis omnibus fidei mysterijs, descendit Spiritus S.; & Petrus solemniter Christum prædicauit. Respondeo, tunc cepit quidem solemniter promulgari per Apostolos; sed hæc promulgatio non erat sufficiens vt simul vniuersum mundum obligaret. Deinde, hæc promulgatio solum pertinebat ad Iudæos; vt colligitur ex cap. 2. Actuum: nam ad gentes non fuit facta, nisi aliquot annis post, quando Petrus missus fuit ad Cornelium. Actuum 10.

ARTICVLVS III.

Vtrum Aqua sit propria Materia Baptismi?

10
Errores
hereticorum
circa mate-
riam Bap-
tismi.

Respondetur affirmatiuè. Notandi sunt aliquot errores antiquorum hereticorum circa materiam Baptismi. Primus est *Gnosticozum*, qui negabant aquam sensibilem baptismò necessariam, teste Irenæo lib. 1. contra hæreses cap. 18. Hos secuti *Manichæi*, qui putabant aquam, sicut & reliquas res corporeas esse à malo principio; teste D. Augustino hæresi 46. & *Seleuciani*, qui etiam Baptismum in aqua non recipiebant; teste Augustino hæresi 59. Hi omnes volunt aquam in illis verbis Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* metaphoricè sumi: sicut accipitur cap. 4. cum Dominus ait, *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.*

Secundus error est *Iacobitarum*, qui exorti sunt circa annum 590. Hi imprimebant candente ferro frontibus hominum figuram Crucis; quia scriptū est, *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne.* Testatur Bernardus Lutzenburgenfis in Catalogo; & Sanderus lib. 7. visibilis Monarchie.

Tertius error fuit *Flagellantiū* in Gallia & Germania circa annum 1350. Hi volebant materiam Baptismi esse proprium sanguinem flagello elicitum: contra quos Gerson fecit quemdam tractatum.

11
Sententia
Catholica
& de fide.

Sed fide tenendum est, Baptismi materiam esse veram sensibilem & vsualem aquam. Definitur in Cõcilio Lateranensi Capitulo *Firmiter*. Et in Florentino in decreto vniõnis Armerorum: & in Tridentino sess. 7. can. 2.

Probatur ex Scripturis: Primò, Ex nouo Testamento, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*: quæ verba sub pena anathematis vetat Conciliū Tridentinū detorqueri ad metaphoras. Et cõfirmatur Act. 8. v. 36. *Eccc aqua*; inquit Eu-

nuchus) quis prohibet me baptizari? Et ad Ephes. 5. v. 26. *Mundans eā lauacro aquæ in verbo.* Vnde Apost. ad Corinth. 10. comparat Baptismum mari Rubro: Et Petrus epist. 1. cap. 3. comparat Diluuium.

Secundò, Idem probatur ex veteri testamento. Ezechielis 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam.* Et Zachariæ 13. v. 1. *In illa die erit fons patens domui David in ablutionem peccatorum.* Quod vt Deus præsignaret, multa admitanda per aquam ab initio effecit; vt pulchrè ostendit Tertullianus lib. de Baptismo, & Hieronymus epist. ad Occanū, & alij Patres. Primò, In exordio mundi, *Spiritus sanctus ferebatur super aquas*, fouens eas: Genes. 1. v. 2. Secundò, Collocata est magna pars aquarum super firmamentum: ibidem. Tertio, Aquis datum est primum præceptum, seu prima benedictio vt animas proferret, teste Tertulliano & Hieronymo. Nam quinto die dictū est, *Producant aqua reptile anima videntis, & volatilis*; quo insinuatum est, benedictione & imperio Dei Baptismum sensata pennataque animalia in cælum volantia editurum. Quarto, Per aquam delentur peccata, seu peccatores in Diluuium, & saluantur iusti: Genes. 7. & 1. Petri 3. Quintò, Saluantur Israëlitæ per mare Rubrū, & submergantur Ægyptij: Exod. 14. Sextò, Mundatur Naaman à lepra; 4. Reg. 5. Septimò, Curantur omnes languores in probatica Piscina: Ioannis 5. Octauò, Dominus primum Miraculum fecit in aquis, conuertens eas in vinum in nuptijs. Ioannis 2. Et similiter vltimum, quando ex latere *Fluxit sanguis & aqua*, Ioannis 19.

Tertio Probatur, Ex proprietatibus aquæ, quæ aptissimæ sunt effectus baptismi significantis: vt ostendit Iustinus Apolog. 2. & Leo serm. 4. & 5. de Natiuitate Domini. Primò, Aqua igne extinguit; vnde baptismus rectè significat cupiditatum extinctionem. Secundò, Maculas corporis eluit. Tertio, Animantia suffocat: vnde rectè designat & peccatorum absterfionem, & irrationalium concupiscentiarum interitum. Quarto, Perspicua est ad illuminationem: vnde significat illuminationem animæ. Quintò, Emollit indurata: ita baptismus cor durum emollit. Sextò, Est fecunda: nam omnia semina habent vim aquæ. Vnde ad generandum nouum hominem aptissima. Hinc Tertullianus lib. de Baptismo, *Primum liquor, quod vinceret, edidit; ne mirum sit in baptismo, si aqua animare nouerunt.* Septimò, Mergendo hominem in aqua, optimè Christi sepulturam exhibemus. Vide D. Thomam. His adde; Aquam vbique præsto esse, & facillimè ab omnibus haberi; vnde etiam hac ratione erat aptissima Baptismi Sacramento, quod cum inter omnia sit maximè necessarium, debet esse maximè promptum, & expeditum.

Sed Contrà. Primò, Scriptura comparans Baptismum Ioannis cum baptismo Christi, semper dicit *Ioannem baptizare aqua, Christum Spiritu sancto & igne.* Patet Matth. 3. Luca 3. Ioannis 1. Ergo Christi Baptismus nõ fuit in aqua.

Respondeo; Censur est; Baptismum Ioannis esse in aqua tantum; nec dare Spiritum sanctum. Quòd autem locis illis dicitur, *Ille baptizabit Spiritu sancto & igne*, significatur Spiritum sanctum effundendum in Apostolos sub specie ignis seu linguarum ignearum; ita Hieronymus in cap. 3. Matth. vel, Christum baptizatum suos Spiritu sancto; id est, purgatum copiosa Spiritu sancti effusione,

Miranda
facta in
aquis.

Congruen-
tia inter
effectus
aquæ &
Baptismi.

12

Quomodo
Baptismus
Christi fit
in Spiritu
sancto &
igne.